ORATIO FUNEBRIS IN LUCTUOS. OBITUM INVICTI HEROIS, M...

Antonius Thysius

Digitized by Google

1128

ANTONII THYSII, JC. ff.

Et in Acad. Lugduno-Batava Professoris Ordinarii

ORATIO FUNEBRIS

In luctuosissimum Obitum Invicti Herois,

M. HARPERTI TROMPII,

Equitis, maris Propræfecti, &c.

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officinâ PETRI LEFFEN, Anno cIↃ IↃ c LIII.

CELSIS

ET

PRÆPOTENTIBUS FOEDERATI BELGII PROCERIBUS,

NEC NON

POTENTIBVS HOLLANDIÆ WESTFRISIÆQUE ORDINIBUS,

DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS,

HANC QVALEMCVNQVE ORATIONEM FUNEBREM, EA, QUA PAR EST, SUBMISSIONE, OFFERT

ANTONIVS THYSIVS.

MAGNIFICE RECTOR: VIRI NOBILITATE, DIGNITATE, ET PROPRIA VIRTUTE ILLUSTRES, PROPINQVI ET CONSANGVINEI DEFVNCTI: AMPLISSIMI ET MAGNIFICI DOMINI, PRÆTOR, CONSULES, SENATORES, QUIQUE HUIC URBI A CONSILIIS ET SECRETIS ESTIS: PROFESSORES CELEBERRIMI: PASTORES REVERENDI: DOCTORES CLARISSIMI, CÆTERIQUE VIRI HONORATI: TVQVE NOBILISSIMA JUVENVM CORONA.

ALtum hactenus silentium ex luctuosa morte invictissimi Heroris Martini Trompii corde nostro pressimus, quia magnæ calamitates non loquuntur. Publica hæc non privata sunt funera, & eo quidem majora, quo minus adhuc sentiuntur. Ea est vulnerum in corpore humano ratio, ut primo impetu vix sentiantur, tum demum acui soleant, ubi tempus moram dedit. Luctus omnis

ætatis atque ordinis hominum quotidie non minuitur, sed augetur. Vidimus, ubi ultimum pietatis officium cadaveri tanti Herois persolutum est, Patres atratos & mœstos incedere, cives circumfusam imaginem luctus vultu gestibusque ostendisse, vidimus nonnullis lachrymas excussas, alios suspiria alta atque gemitus edidisse, alios obmutuisse, omnes verò, quibus frenum linguæ dolor laxaverat, in laudibus defuncti perpetuos fuisse, hunc fuisse Neptuni domitorem, virtutis nauticæ exemplar, belli fulmen, hunc libertatis maritimæ assertorem, acrem, & strenuum hostium vindicem, optimum denique sociorum navalium parentem. Nobis etiam dicturis tremunt genua, lingua titubat, labra volento motu concurrunt, pulmones crebro anhelitu agitantur. Vobis quoque omnibus impressum dolorem video, & sentio, Auditores. Si solatium vestri doloris à me quæritis, fallimini, ipse nondum mente composita dolori modum ponere possum. Proponam itaque, quod publice interest fieri, vitam, virtutes, celeberrimi Herois nostri, ut optimi quique ad similia virtutis exempla incitentur. Sicut enim solis radii ex repercussu ignescunt, & in materia habili facile flammam

flammam concipiunt, nutriuntque; ita ex virtutis commemoratione menti quoque generosæ virtutis imago veluti imprimitur, imo animus extra se positus igneſcit. Martinum itaque Harperti Trompium Martis maritimi alumnum Brila extremum Batavorum oppidum anno CIↃ IↃ XC VIII in lucem produxit, ubi Mosa Rheno auctus in mare Oceanum vasto alveo se præcipitat. Nimirum vicinum Oceano locum pro natalibus habere debuit Imperator noſter, qui aliquando indomitum illud elementum imperio suo stringeret. In illo loco nasci debuit libertatis maritimæ vindex, ubi prima libertatis noſtræ jacta sunt fundamenta. Patrem habuit fortissimum virum Harpardum Martini, præfectum bellicæ navis, qui celeberrimę expeditioni Heemskerckii non solum interfuit, verum etiam fortiter se gessit: cum ad ipsas Herculis columnas Herculeo ausu regia Hispanorum classis igne, & ferro deleta est, totaque adeo in litore trepidaret Hispania. Quo prælio tanto noſtorum impetu pugnatum est, ut cum milites prætoriæ navis Hispanicæ passim in mare desilirent, victores nonnulli ex Batavis subsequerentur, atque in ipsis aquis certo vitæ periculo vindictam ab hostibus

bus sumerent. Spiritus itaque militares à Patre primum Trompius noster hausit, dein experientia rerum magistra paulatim admirandum in modum promovit. Vix enim octennis sub patris præfectura maria sulcavit, atque turgidum & iratum pelagus siccis oculis spectare, imo ipsam mortem contemnere didicit. Tum prima militiæ nauticæ tyrocinia jecit, in quantum ætas puerilis capax fuit: tum primum velocitatem corporis artuumque experiri, per funes nauticos eniti usque ad corbem supremum, inde veluti ex turri in immensum æquor prospicere, aplustria summa pernicitate adimere', puerilis labor fuit: tum primum omnes navigiorum partes & usus, instrumenta nautica omnia memoria percepit, atque fluctuanti gressu, qualis solet esse nautarum, singula ministeria obivit. Ita tum mari assuevit, ut terræ illum tædium caperet, & veluti Neptuni filius videretur. Non puerilibus lachrymis fœdas tempestates & naufragia horruit, sed marina aqua non semel aspersus robur & fortitudinem confirmavit. Ubi per duodecennales inducias horror & furor belli Hispanici se intermisit, & quædam veluti essent Alcyonia, patrem sequutus propria navi commerciis onusta for-

sto fortunam maris tentavit: verum in Atlantico Oceano prope Hesperium promontorium, quod vulgo Viride dicitur, gravis illum oppressit calamitas. quippe Anglicus prædo, qui septem navigiis mare infestabat, vi navem hanc, in qua opes patris sitæ erant, superavit, patrem fortissimum virum ferali globo transfodit, hunc autem nostrum cum annorum esset undecim, violentæ captivitati addixit. Sed captivitatem corporis etiam puerili ætate animi libertas superavit, quam nemo mortalium adimere potest. Multi in libertate serviunt, nonnulli, quorum igneus est spiritus, in captivitate liberi sunt. Generosæ mentes supra fortunam sunt, & virtute sua eriguntur. Animus ejus in ipso adolescentiæ vestibulo immobilis erat, & adversa ridebat: sicut maximi quique fluctus rupes non movent, sed spumanti impetu colliduntur, frangunturque. Quinetiam jam tum, antequam se dederet, excelsa in eo emicuit fortitudo, cum patre mortuo ad extrema quæque socios hortatus est. Cum prædonibus his Anglicis per duos annos quaquaversum maria lustravit, & totius veluti orbis hospes, imo indigena fuit: nullibi stationem fixit, semper vagus & cum Oceano suo fluctuans. Mo-

do orientem modò occidentem attingere, & utrumq; veluti ſolem ſequi, modò ſub linea æſtum, modo horridos & rigidos ſeptentrionales pati, modò cum tempeſtatibus impetuoſi maris colluctari, & ex tenui nubecula horridas procellas præſagire, ſemper tamen magnanimus & in turbida Fortuna tranquillus; donec ipſos admodum prædones maris atque rapinæ ſatietas caperet, atque conditionibus cum Duce Sabaudiæ factis receptui liber locus conceſſus eſt. Prædatoria itaq; Anglorum claſſe diſſoluta, libertati reſtitutus, jam animo maxima quæq; volvens domum rediit. Non hinc otio atque ignaviæ vel illecebris voluptatum ſe dedit, ut nautica pubes ſolet, ſed in otio ſemper ſibi honeſtum negotium quæſivit. Franguntur ſæpe magni ſpiritus ignavia & luxuria, ac in cæteris invicti à propriis vitiis vincuntur: quibus maximus hoſtis eſt non ille externus, ſed internus, qui in viſceribus ipſis ſedem poſuit. Non placuit illi hæc quies inquieta, atque inertia ſui inpatiens, verum ſui victor honeſtis actionibus incubuit. Sicuti autem nihil tam capax eſſe fortuitorum, quam mare noverat, ita tamen veluti in mari natus diverſis maritimis expeditionibus ſe miſcuit, & ſub

Lamber-

Lamberto cui Pulchri nomen adhæsit, ad Tunetum celebri prælio fortiter se gessit, ac per omnes fere gradus militiæ experientiam cum virtute auxit: in arte autem navigandi ita exactus evasit, ut nulli peritia cederet. Terrarum quippe situs, litorum flexus, promontoria, sinus, pulvinos, profunditates aquarum, motuum maris in singulis tractibus conditionem & plagam, acus magneticæ usum & declinationem, notitiam lineæ, per quam ex uno loco ad alterum navis ducenda est, quæ ars veteribus Histiodromice appellatur, longitudinem & latitudinem locorum, denique artem gubernandi cum peritissimis noverat. Hisce itaque navigationibus omnes artes nauticas & militares incredibili alacritare & industria superavit. Ingenium nimirum heroicum ipsam ætatem anevertit, neque damnum fert longioris & ignavæ moræ. Magnorum fluminum, inquit ille, navigabiles sunt fontes, & generosissimę cujusque arboris planta statim cum fructu est. Neque vero in inquieto aquarum elemento semper illi quieta fortuna fuit. quippe in mari mediterraneo à pirata Turcico captus, in Africam, Tunetum, ubi adhuc exstat veteris Carthaginis portus, delatus est. Ibi, incredibile

auditu iis, qui Turcicam avaritiam norunt, divina tamen providentia libertatem retinuit. Triumphat nimirum semper in providentiæ curru Deus immortalis, voluntas omnium hominum supremæ voluntati subjecta est, dirigit flectit, trahit omnium mentes supremus Imperator. Quis in crudelibus & avaris prædonibus Turcicis clementiam, humanitatem, imo liberalitatem audivit? hic factum fuit. Crudelitas in misericordiam, avaritia in liberalitatem conversa est. Cum enim ad generosissimi spiritus præfectum Tuneti captivus delatus esset, dum ipsi Turcici nautæ rerum maritimarum peritiam admirantur, & laudibus concumulant, apud eundem summo in honore, & pretio fuit. Diu ille summopere ab heroe nostro flagitavit, ut gubernatorem suarum navium ageret, honores, luculenta præmia, quibus abripi fragiles mortalium mentes solent, promisit; ille contra rotundo ore reluctari, nullam se ex conscientia posse iis exhibere fidem: Patriæ suæ se devovisse, & juramento obstrictum. Ita loquutus est imperterrito vultu, neque rigidam Turcarum barbariem vel servitutem metuit, qui jam antea mortem contempserat. Neque vero in iracundiam e-

rupit

rupit præfectus, ſed placido vultu virtutem ejus & apertam rotunditatem admiratus eſt, imo etiam muneribus eũ cumulavit, atq; incolumem in patriam remiſit. Horremus nomen Turcicum, Auditores, ſed hic etiam Turcam laudare neceſſe eſt. Hoſtium virtutes non deprimere, ejus eſt, qui nullis affectibus abripitur, ſed ſoli veritati velificatur. Vix domum redierat heros noſter, cum virtus ejus ſtatim omnibus innotuit. Sicut ignis ubique emicat, & foras prorumpit, ita magnæ virtutes diu latere nequeunt, & ſpectante invidia ad æternitatem currunt. Sponte illi ſine ullo ambitu primo vicaria, dein extra ordinem navis bellicæ præfectura, ad extremum ordinaria oblata eſt. Piſcatoriis initio navibus defendendis, poſtmodum & iis, quæ commercia vehunt, tuendis deducendisque ſumma alacritate præfuit. Piſcatores, qui pro tenui quæſtu ſe furori debacchantis Oceani & violentiæ hoſtium vitæ prodigi objiciunt, tanquam deum tutelarem, alterumque Neptunum hunc noſtrum venerabantur. Quorum vita ut rudis & ſimplex eſt, ita ab omni fuco & mendacio abhorret. Incredibilem quoque induſtriam & vigilantiam in defendendis ab omni hoſtili im-

petu, deducendisque mercatorum navibus, omnibus supra modum approbavit. Noverat nimirum in Oceano nostras opes sitas esse, & mercaturam animam esse nostræ Reipublicæ. Fuit hactenus, Auditores, (absit invidia dicto) hic angulus, hæc spithama terræ, quæ mari passim cingitur exediturque, horreum publicum totius Europæ. Eructat etiam extremus Ganges in Rhenum suas divitias, imo quidquid uspiam locorum est, hic emitur venditurque, dum ad ultimas oras vela nostra dimittimus. Quod ut perpetuum sit, Deum immortalem rogo, venerorque. In securitate commerciorum securitas nostræ Reipublicæ sita est: cui promovendæ defunctus noster heros, quantum in se erat, omnes semper nervos intendit. Quin & defendendo variis vicibus magnum Hispanicarum navium numerum oppressit, contuditque. Quarum omnium numerum subducere difficile, & singula quæque captare infra gloriam tanti herois est, atque in infinitum nostra se extenderet oratio. Illud unicum nequaquam silentio præteriri potest, anno hujus seculi xxvi fortissimum Imperatorem nostrum uno tantum navigio cum quinq; Flandricis tanta virtute conflixisse, ut hostis illum

lum ſummo cum opprobrio deſeruerit, ipſe autem ſex mercatorias naves incolumes in fluenta Moſæ dimiſerit. Ea tum fuit animi conſtantia, ut cum undique ab hoſtibus premeretur, omni periculo imo ipſa morte ſuperior, extrema quæque expectare, quam hoſti cedere maluerit. Vinci non potuit, qui jam antea mortem cogitatione vicerat. Inerat quippe, ubi neceſſitas urgebat, vel gloria Patriæ fortiſſimum civem deſiderabat, heroico animo mortis contemptor animus, neque multum intereſſe credebat, ocyus an tardius quis moreretur. Eleganter dixit ſapiens Romanus: „Nonne contemneres eum, qui inter perituros conſtitutus, beneficii loco peteret, ut ultimus cervicem præberet? idem facimus: „magno æſtimamus mori tardius. In maximis igitur periculis heros noſter ſemper ſui ſecurus, immortalitatis poſt mortem hanc certus erat. Cum ejus fama jam in immenſum creſceret, atque in omnium oculos fortitudo ejus, & glorioſa virtus incurreret, Petrus Heinius Argonautarum ſuo tempore Princeps, qui non Colchicum, ſed Indicum illud vellus rapuerat, cum in locum perilluſtris viri Gulielmi Naſſovii maris præfecti, qui in obſidione

Grollæ mortalitatem impleverat, ſuffectus eſſet: à defuncto noſtro ſummopere contendit, ut Prætoriæ navis curam ſub ſuo præſidio ſuſciperet. Etſi autem honeſte id recuſare poſſet, cum propriæ navis præfectus eſſet, glorioſum tamen judicavit, virtutem ſuam cum virtute tanti viri conjungere. Nimirum generoſiſſimæ cujusque mentis alimentum eſt honos: quem ita affectavit noſter, ut non vanus eſſet ſui prędicator, aut ſibi ipſi adularetur. Virtuti & bonæ famæ incumbere, in cæteris modeſtiam colere, viri vere glorioſi eſt. Cum Petro itaque Heinio militiæ maritimæ ſtrenuo præfecto mari ſe commiſit, ut hoſtem quęreret. Neque multo poſt tempore cum claſſe hoſtili manus conſerendi occaſio ſe obtulit. Graviſſimo cum eâ prælio dimicatum, adeo ut mare vicinum non tam aquas, quam ſanguinem volveret. Sed in ipſo pugnandi ardore Petrum Heinium fatalis neceſsitas abripuit: quippe majori tormento lethaliter vulneratus confeſtim ſpiritum ſuum exhalavit. neque minus tamen ſpiritus ſe remiſit fortiſſimi noſtri Trompii, virtutemq; cum ſolertia junxit. Ne enim morte ſupremi præfecti labaſcerent ſociorum navalium animi, cadaver abſcondendo mortem

ejus

ejus occultavit, donec cruentè admodum pugnando tria majora bellica navigia superaret, atque in portus nostros victor deduceret. Ita maria sulcando multa alia fortissime gessit, quorum diaria meminerunt, quæ omnia referre tanti non est, dum majora negotia oculos omnium præstringunt : neque nimis anxios nos esse oportet in conquirendis omnibus, quæ ad laudem tanti heroïs faciunt. Virtutis equidem & fortitudinis inclyta monumenta sunt tot regalia munera & torques, ita ut non uno nomine Torquati nomen mereatur. Pertæsus dein turbidæ hujus vitæ, sponte abdicato munere, honestæ quieti & tranquillitati se dedit. In civili autem vita omnibus carus acceptusque fuit, modestus, non turgidus honoris sui buccinator, non alienæ virtutis obtrectator, animo tranquillus, affectuum victor, religiosus, liberalis, omnibus amicus & comis, etiam, ubi tempus ferret, usque ad facetias jucundus. Non erant mores ejus horridi, tetricique, quales Neptuni indigenæ ex ferocia maris acquirere solent, sed ad omnem humanitatem compositi. Liceat mihi, Auditores, Comici hic verba inferere, & tanto heroi attribuere: Sic vita erat: facile omnes perfer-

„re ac pati, cum quibus erat cunque una, his „se dedere, eorum obsequi studiis, adversus „nemini, nunquam præponens se aliis, ita ut „facillime laudem sine invidia invenias, & a„micos pares. Videte, Auditores, quanta materiæ ubertate obruamur, cum in prædicatione harum virtutum integra diffundi possit oratio, quas nos breviter tantum attingimus. Neque vero interea extra mare positus, otiosus terræ spectator fuit, sed oceanum semper pre oculis habuit, & directioni instruendarum navium versus Mosam summa cum laude & industria præfuit. Verum talem postmodum virum Oceanus ipse iterum flagitavit. Cum enim nobilissimus Dorpius maris præfectus à Proceribus missionem sui muneris peteret, atque accepisset, Patres Conscripti, junctis cum celsissimo Principe Auriaco consiliis, hunc potissimum tanto honore dignissimum judicarunt. Oblata est ei sponte sine ullo ambitu suprema maris dignitas, &, quod glorioſum est, sola virtus illum commendavit. Quis hic defuncti nostri modestiam heroicæ virtutis comitem dignè prædicet? recusavit diu heros noster tantam provinciam, asseruitque non esse se tanto oneri parem, difficillimum esse incerta

maris

maris consilio certo regere, & audaciam atque temeritatem sæpe pro fortitudine censeri, prudentiam vero pro timiditate : contra Proceres obniti, & ab eo summopere petere, ut difficilibus temporibus hanc provinciam susciperet, se exploratam habere ejus fortitudinem & prudentiam, continuum usum efficacissimum esse rerum omnium magistrum, Patriæ se natum non tantum sibi, mare rapinis infestum esse, non libera esse commercia, neque magnam piscationem, denique in illum oculos omnium conjectos. Interessere & alii privatim dignitate & auctoritate pollentes viri, donec ille reluctando tandem tempori cederet, & Patriæ suæ devotus conditionem acciperet. Nimirum suprema omnium dignitatum dignitas est, virtus cum modestia conjuncta. Insciti confidentiam, prudentia vero cunctationem parit. Altissima quæq; flumina sine murmure labuntur. Imperitia ut plurimum arrogans est, arrogantia ubique noxia, maxime contra hostem. Singulari itaque modestia dignitatem hanc susscepit invictus noster Imperator, incredibili gloria & fortitudine decoravit. Læta, sub eo, mari rerum facies, commercia vigent, navigationes liberæ sunt, hostes vel

opprimuntur, vel ſuis includuntur latebris, Dunkerka Martis Hiſpanici domicilium tremit, ſingulis annis ab excurſionibus cohibetur, vel ubi circa autumnum impetuoſum ibi mare turget, ex edicto Procerum oceanus duplici curſu, ad opprimendos hoſtes, luſtratur, verritur; denique tota admodum Flandriæ ora fatigatur. Sæpe interea cum hoſtibus manus conſeruit, atque adeo ſeptem menſibus novem navigia majora Flandrica ſuperavit: ſed omnium admirationem ſuperat fortiſſimum illud circa Mardicum prælium. Dum enim invictiſſimus noſter Imperator maria luſtrat, forte fortuna Dunkerkam verſus claſſem promovit: vidit ibi fervere nautarum operas, claſſem viginti navium jam expeditam aquis incumbere, nihil reliquum eſſe, quam ut vela intenderet, & ſummo impetu Fortunam maris tentaret. Inconſultum itaque judicans duplices per mare curſus inſtituere, duodecim navigiis exitum hoſtilis claſsis impedivit. Jamque adeo Præfectus hoſtium ſuſpenſus animo hærebat, nutabat, an tutum eſſet cum Heroë noſtro manus conſerere. Quippe jam formidabilis heroïca defuncti virtus hoſtibus eſſe ceperat. Neque armis tantum,

tum, sed & terrore sui Noster vincebat, adeo ut ante prælium jam victor esset. Ex aula igitur Bruxellæ edictum venit, ut non tantum confligerent, sed post certam victoriam Præfectum maris Batavicum captivitati addicerent. Neq; spiritus hosti deërat, cui confidentia sui pro munimento erat. Trompio autem magnum ad victoriam momentum erat, vincere velle, aut mori. Stipata classes hostium immenso sclopetariorum numero, vela ventis intumuerant, & circa interiora vada, quæ à Sordida barba nomen acceperunt, se ostentabant. Exterius marginem vadorum radebat Heros noster. Utriq; & Nostro & hosti animus præsens, spectata virtus fuit. Syrtes illæ arenaceæ tormentorum sonitu concutiebantur, atque ignibus suis mediis aquis veluti ardebant. Ubi in apertum pelagus se effudit hostilis classis, prælium cruentum inchoatum est. Maxima quæque & ardua glorioſa mens petit. Prætoriam itaque hostium navem noster aggreditur tanto impetu, ut vicinum veluti mare conflagraret, atque adeo horridus aër cum igne, denso admodum fumo obductus esset. Præter tormenta graviora, quibus duplici serie instructus detonabat, ita Dracones ignita jacula evomuerunt, ut

ſtipatus hoſtilis miles tabulata ſuperiora non tantum relinquere cõactus fuerit, ſed in Prætoria navi antrum horrendum, informe, ingens hiſceret, vulneratorum & morientium clamore cuncta perſonarent. Hydras fingunt mythologi multorum capitum fuiſſe, quorum aliquot exciſis, totidem ſubito renaſcebantur: noſtri Dracones ſive Hydræ maritimæ ex una capſula ſexaginta globos ſive potius capita ferrea exibilabant, atque iterum ſubito renaſcebantur, ita ut nullus illis domandis Hercules ſufficeret. Queis, cum late ſe extenderent, diffunderentque, ſclopetariorum vis hoſtilis contuſa, fracta fuit. Æmilia, Æmilia, Argonautæ noſtri vectrix, quantos tum labores non muliebres ſuſcepiſti! Ita dedolata eſt Prætoria navis hoſtium, ut pene fundum peteret, atque ægre attracta fugiendo evaderet. Quanti porro moliminis fuit, cum ſex aliis hoſtium navibus confligere, quibus Noſter cinctus tanta virtute reſtitit, ut, incredibile dictu, per tres horas pugnando cedere coactæ fuerint. In cæteras autem naves egregiam quoque virtutem exeruit invictiſſimus noſter Imperator. Quippe tota fere hoſtium claſſis miſere conſumpta, duæ ex iis captæ, vice Præfectus cum ſex

aliis

aliis navibus bellicis in vada collisus est, & postmodum, ne caperetur, proprio incendio conflagravit, cæteræ admodum quassatæ ægre se in portum receperunt. Victoria hæc eo major & gratior fuit, quod destinatus Hispaniæ miles transmitti nequiret, quod Marchio Feuntesius Dunkerkæ Gubernator, qui cum circumfusa civium multitudine in litore pugnam spectabat, certam sibi spopondisset victoriam, illorum more, qui etiam ante pugnam superbia quadam inflati victores sunt, imo etiam victi superba victoriæ verba jactant. Sicuti utres vento pleni facile colliduntur, ita tumidus ille fastus in ludibrium abiit. Interea tota civitas Dunkerkana se in luctum solvit, alii maritum, alii patrem vel filium lugere, mulieres pectus tundere, quæstus ingeminare, in lachrymas liquescere: contra apud nostros gaudio laxari pectora, securitatem Oceani sibi polliceri, heröem nostrum ad cœlos extollere. Digna quoque honoris præmia, ut semper solent, tantæ virtuti tribuerunt Patriæ Patres: Imperatorem enim nostrum torque aurea magni pretii, cum aureo numismate, cui insigne Procerum insculptum, condecorarunt. Eundem illi honorem cum imagine nummo

impreſſa tribuit illi virtutis omnis incredibilis fautor celſiſſimus Arauſionum Princeps. Reges quoque & terrarum domini honores ſuos certatim in illum effuderunt. Neque vero ſatis erat hæc virtutis præmia largiri, niſi & prolixum favorem eorundem literæ oſtenderent. Vidimus & legimus Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Ludovici literas ad heroem noſtrum poſt Mardicenſe prælium conſcriptas, quibus immenſis laudibus fortitudinem ejus cum ſumma prudentia junctam prædicat, & Regiis verbis ita ejus virtutes æſtimare ſe affirmat, ſicuti merentur, id eſt, quod omni laude majores ſint. Vidimus & literas Cardinalis Armandi de Richelieu, qui ingeniorum noſtro ſæculo fuit ſagaciſſimus explorator, virtutumque admirator, quibus tantæ victoriæ ita gratulatur, ut neminem majori gaudio perfuſum, neminem quam ſe heroicas ejus virtutes pluris facere affirmet: & ſimul torquem auream cum numiſmate, cui Cardinalis inſculpta imago, tranſmiſit, etiam atque etiam petens, ne illam auri ponderc ſed amoris ſui cenſeret, & perpetuum hoc geſtaret favoris ſui monumentum. Contra modeſte admodum Regi & Cardinali reſcripſit glorioſiſſimus noſter Impera-

perator, nihil ſibi unquam jucundius contigiſſe, quam gratam fuiſſe iis qualemcumque de communi hoſte victoriam, luculenta præmia exoſculari, immodicas laudes non accipere, ſui muneris fuiſſe, quantum in ſe erat, implacabile Hiſpanorum odium contundere, opprimere; ſe expedita claſſe, ſi ſuppetias ferat ſupremus omnium Imperator, majora tentaturum, ex Galliciæ portu claſſem terribilem Hiſpanicam exſpectari, hanc profligare ſibi unice in votis eſſe, voluntatem certe optimam nunquam defuturam, de patria, atque iis qui fœdere juncti ſunt, bene merendi. Neque vero auſpicia fefellerunt. Potentiſſima namque claſſis, horror Oceani, quæ ſexaginta ſeptem non tam bellicis navibus quam caſtellis maris conſtabat, & incredibili ſumptu longo temporis impendio à Rege Hiſpaniarum conſtructa erat, vela ventis dederat. Integra veluti regna cum armatis viginti quinque hominum millibus aquis innatabant, & ubique in claſſe Prefectos ſuos habebant in militia veteres & exactos. Caſtiliæ præerat Andreas de Caſtro, Neapoli Petrus Quaderonus, Luſitaniæ Lopezius Docias, Galliciæ Franciſcus Feio de Sottomajor, horrenda ipſa pronuncia-

tione nomina. Toti classi præerat Antonius D'Oquendo, summæ apud Regem autoritatis & existimationis, & virtute maritima nobilis. Jamque adeo circa promontoria freti Anglici vasta quædam navium sylva apparebat: oceanus veluti horruit immane nemus in aquis erectum, atque in promovendis navibus venti ipsi & fluctus laborabant. Inter quas nonnullæ ita immanis erant magnitudinis, ut propemodum septuaginta majora tormenta caperent. Nonnullæ mille, aliæ octingentos, aliæ septingentos tam milites quam socios navales stipatos numerabant. Quarundam costis ea ligni inserta erat crassities, ut quinque pedes superaret, tormentorumque impervia esset furori. Flos Hispanicæ Nobilitatis Regi suo devotæ in hanc expeditionem immenso spiritu se effuderat. Tanta classe veluti alter Xerxes maria instraverat Rex Hispaniarum, & libertati nostræ imminebat. Ipse Antonius D'Oquendo, cum nostram exiguam classem conspiceret, iracundiæ æstu concitatus in contumelias erupit, hæccine esset illa potentia maritima Batavorum, quam tantopere extulissent Belgæ Hispanici, Regem ludibrio exponi, qui tantis sumptibus classem construxisset, ab infidelibus mini-

miniſtris regias opes flagellari: idem ſingulari faſtu paucitatem navigiorum noſtrorum & magnitudinem ita riſit, ut per contemptum depreſſas gallinas vocaret. Sed hæ gallinæ criſtatos illos & tumidos gallos gallinaceos oppreſſerunt, conculcarunt. Tam potentem igitur maritimam Hiſpanorum expeditionem duodecim primum navibus, exiguis velis mare obliquando, exſpectavit invictiſſimus noſter Imperator. Magna illi erat confidentia ſui, cui jam ante perſuaſum erat vincere, vel pro Patria mori. In propinquo erat quinque navigiis magni animi & ſpiritus vicepræfectus Witto-Wittius, qui tum hic, tum alibi certa virtutis ſuæ documenta exhibuit. Decimo quinto Septembris Anno cIↃ IↃ c xxxix cruenti primo Martis veluti præludia fuere. Etſi autem à Noſtris fortiter dimicatum, atque vis hoſtilis contuſa eſſet: infortunium tamen hic noſtrum ſilentii velo obducere noluimus, ne videamur nobis ipſis adulari. Navigium enim bellicum noſtrum, cui S. Chriſtophori nomen erat, cum omni nautica pube, excepto uno, horrendo fragore, incenſo per negligentiam proprio pulvere pyrio, in aërem colliſum eſt. Ingenti autem animo contra Prætoriam noſtram na-

vem Præfectus Hiſpanicus curſum direxerat, jamque admodum propinquus erat, ſed à fortiſſimo Heroë noſtro ita exceptus continuis tormentorum ictibus fuit, & perforatus, ut velis pertuſis infra ventum fluctuans, ludibrio & facetiis nauticis Noſtrorum ſe exponeret, atque horrori maritimi noſtri Martis vel potius Martini cederet. Decimo octavo ejusdem menſis pugna atroci conſerta, duodecim bellicis navigiis auſpicatò noſtræ claſſi ſe conjunxit fortiſſimus Bancerus. Auctus tum animus Noſtris ſeipſos non capiebat: cuncti ardebant deſiderio pugnandi, atq; Martio ſanguine incaluerant. Periculoſum tamen erat & plenum opus aleæ, tam potenti claſſi ſe inſerere atque innectere. Cunctabatur paulum noſter Fabius, ut certò vinceret. Temeritas mater eſt calamitatis, Prudentia victoriæ. Exigua potentia immenſam hoſtium vim contundere, hoc opus, hic labor eſt. Vidit propter molem plerasque hoſtilium navium veluti maris pro pugnacula eſſe, neque ventis facile moveri, flectique, contra noſtras naves celeres volucreſque eſſe, quæ, ſi periculum aliquod imminneret, propter mobilitatem elabi poſſent. Ad prælium itaque horrendum ſe accinxit Imperator

rator noſter. A prima aurora uſque ad decimam veſpertinam tanta ferocia cum hoſtili claſſe dimicatum eſt, ut totum veluti mare fulminaret, & aquę cum ignibus miſcerentur. Arte autem ſingulari uſus fuit prudentiſſimus noſter Præfectus. Non ille ſimul atque ſemel cum hoſte confligere, ne navium hoſtilium numero & mole cingerentur Sui, modò rectà in hoſtem tendere curſum, & tormentis majoribus claſſem fatigare, tabulata perforare, modo iterum ſecundo vento curſum obliquare, rurſum alibi circumnavigando laſſare immobiles illas arces. Hoc prælio, majori navigio Hiſpanico ſubmerſo ſeptingenti admodum homines miſere perierunt, exceptis ſeptem, qui ægre ſe in Doverenſem portum receperunt. Duo quoque alia capta, ex quibus unum, dum ſpoliis incumbit inconſultè maritima juventus, iterum in hoſtium manus venit. Denſa poſtridie nebula & aëri & mari incumbens prælium utrimque cohibuit. Sed ſequenti intempeſta nocte hora circiter ſecunda, vento propitio, cum luna nocturnos ſuos radios ſpargere inciperet, graviſſime iterum pugnatum eſt, adeo ut poſt prælium omni pulvere pyrio conſumpto Comes de Charoy Caleti

Gubernator immensam annonæ militaris vim singulari promptitudine Nostris subministraverit. Ita post ingentem superiori prælio suorum stragem, immensos navium hiatus, fracta tabulata, disjectis malis pendentia vela, laceratas proras, puppesque, classis Hispanica in Dunensem Britanniæ stationem fugiendo se recepit. Persecutus eam cinxit veluti in septo maritimo Venator noster aquaticus. Hoc nuntio ad Patriæ Proceres delato, ex autoritate publica tanto ardore navigiorum incredibilis multitudo eo se contulit, ut posteri non sint adhibituri fidem. Quis enim mortalium credet, centum, & quod excurrit, navium expeditam classem intra mensem mari commissam fuisse? adeo ut ipsa robora in naves benignitate Numinis mutata viderentur. Vix quispiam crederet, nisi factum sciremus. Verum ne nimis prolixi simus, quia & alia hic dicenda occurrunt; convertamus nos ad nobilissimum illud prælium, quod vigesimo & primo Octobris Anni millesimi sexcentesimi trigesimi noni toti Hispaniæ terrorem atque inauditam calamitatem attulit. Tota enim fere classis, quinque contuberniis Nostrorum, consumpta, deleta, ferro, igne, aqua, denique

& ipsa

& ipsa terra, ita ut omnia fere elementa simul cũ heroe nostro contra Hispanos dimicarent. Viginti tres naves pugnando vadis collisæ, aliæ submersę, alię incensę, vel occupatę. Horribilis maxime pugna fuit contra Lusitaniæ prætoriam navem, cui nomen fuit Mater Teresa. Præerat illi Lopezius Docias bellicosissimus Præfectus, qui & ante in sinu Mexicano quatuor nostris navigiis cinctus gloriose admodum evaserat, qui hoc prælio incredibilem spiritum suum ostendit, & brachio truncus tamen à pugnando non destitit. Cum autem castellum hoc maris nullis perforari tormentis posset, atque ita cinctum esset undique armato milite, ut invadi nequiret; incendiariis navibus immissis subito conflagravit, tantoque fragore, ubi ad promptuarium pulveris perventum est, in aërem collisum est, quasi ex imis terræ penetralibus infernus dissiliret. Ex mille hominibus vix ducenti evaserunt, cæteri aut submersi, aut incendio consumpti, aut in partes discerpti. Trunca capita, brachia, pedes veluti per aërem jactabantur. Etiam, incredibile dictu, ex majoribus tormentis bellicis unum usque ad superiora äeris percussum fuit. Cæteras porro septendecim naves fugientes

cum ſummo ſuo Præfecto, qui propter vicinum incendium ſuppetias ferre Lopezio non audebat, dum eas tormenta explodendo perſequitur Trompius noſter, tenebræ noctis eripuerunt. Furor hic bellicus, & machinarum tonitrua, igniumque horrenda fulmina per triduum duravere. Britannica etiam claſſis in propinquo, triginta navigiis, ſi quid adverſi incideret, cohiberi debuit. Ita hac victoria in in mari veluti debellata fuit Hiſpania, & diffuſa Batavici nominis gloria & veneratio per totum terrarum orbem. Ita victor noſter & triumphator non tam triumphali curru, quam, quod glorioſiſſimum eſt, humeris cunctorum civium Hagam delatus eſt. Patriæ Patres, circumfuſi cives, ſtipata plebes tantæ victoriæ magnitudinem illi gratulari; contra ille, quæ erat ejus modeſtia, non ſibi ſed Deo immortali magnum illud opus tribuere, ſe, ut ipſius verbis utar, tantum vermiculum terræ eſſe. Rebus ſecundis utplurimum animus mortalium inſoleſcit, Noſter ipſam modeſtiam auxit. Sibi nihil tribuit, ut omnia ſupremo Imperatori tribueret. Non tantum autem ob tam illuſtrem victoriam honoribus, & muneribus à Patriæ Patribus auctus, verum externi quoq;

Prin-

Principes admirari tantam heroïs noſtri virtutem,& immenſis laudibus ac prẹmiis cumulare. A Rege Galliarum ſplendida illi nobilitatis inſignia ſummo cum honore conceſſa ſunt: quamquam & animo nobilis eſſet, antequam in illuſtrem nobilium ordinem redigeretur,tamen & approbata à tanto Principe virtus nobilitatem extollit. Ultro autem ſine putido ambitu hæc dignitas illi oblata eſt. Magnum eſt non expetere quod mereris,imo majus aliquando quam mereri. Neque vero hæc vulgaria ſunt inſignia,ſed nihil iis auguſtius excogitari poteſt. Mixta enim inter ſe ſunt Regis Galliarum,Cardinalis Richelivy, atque urbis Pariſienſis inſignia. Supremam partem tenent deaurata lilia cæruleo in fundo nomine Regis, inferius duẹ ex adverſo aſſurgentes rubrẹ trabes fundo albo nomine Cardinalis, in imo nigrum navigium albo itidem fundo nomine Pariſienſis civitatis poſitum eſt. Quibus poſtmodum armis ſereniſſimus Britanniæ Rex Carolus, præterquam quod præſens educto ex vagina Penningtoni gladio marinum hunc noſtrum equitem equeſtri dignitate ſolemni ritu ornavit, ab utroque latere duos erectos gryphes addidit, quorum collo alligatum cingu-

lum flavum scuta utrinque sustinens: scutis autem rubra rosa cum alba fundo itidem albo juncta est, in signum unionis Eboracensis & Lancastrensis familiæ. Quid augustius, quid glorioſius, quam Reges, Principesque ipsa veluti majestatis sua hic insignia simul junxisse, & huic Nostro tribuisse? Post commemorationem Dunensis victoriæ diffuse prædicare, quam multa navigia hostium occupaverit, exspectatio vestra non fert, Auditores. Ad alia, quæ illustria & eminentia sunt, se accingit animus noster. Nihil autem glorioſius, quam Grevelingam, Mardicum, Dunkerkam belli maritimi domicilium, & maris nostri flagellum, ita expedita classe cinxisse, ut laborante terrestri militia Gallo deditionem tantarum urbium festinaverit, etiam munimentum exterius Dunkerkæ suo milite socioque navali superaverit. Hinc Regi Galliarum, fratri Regis, Principi Condeo, Gallioni, Milerayo, aliisque proceribus Gallicis summo in honore atque existimatione fuit, atque ab iis triumphalibus aliquoties epulis exceptus, vel eosdem in prætoria navi magnis sumptibus Patriæ honoris memor excepit. A Duce Aureliæ tantus illi tributus honos, ut in secreto militari Gallico collegio

legio jus ſuffragii honeſtiſſimo loco habuerit. Omnem autem gloriam excedit, occupatâ Dunkerka, quã toties Heros noſter preſſerat, fatigaverat, triumphantem equo cum Duce Anguini urbem ingredi Nobilium ſtipante caterva. In omnium tum oculis hærebat domitor ille Oceani, obſeſſor urbis maritimus, quique totiens urbem cinxerat, tunc civium numero cinctus etiam digitis, ſicut curioſum vulgus ſolet, notabatur. Ibi ita triumphavit, ut de mari quoque ipſo poſtmodum triumpharet. Duplici enim per pelagus curſu ſecuritatem commerciis noſtris dedit. Sequuta dein tempora atrociſſimo Hiſpanico bello finem glorioſum dedere. Hiſpano extrema quæque declinare, exhauſto potentiſſimi Regis ærario, prudentia viſa eſt. Libertatem, quam jam diu armis pepereramus, ipſe Rex ſumma Batavici nominis per orbem Chriſtianum exiſtimatione, agnovit. Noſtris, cum honeſtiſſimæ pacis conditiones offerrentur, bellum cruentum hoc & ſumptuoſum protrahere, indecorum viſum. Ita poſt tam diuturnum belli laborem, cui ſimile vix Antiquitas invenire poteſt, heic quies iterum mari ac terris incubuit. Sed illa non diuturna, in alium graviſſimum Martis maritimi

mi ignem sine ulla nostra causa exarsit. Labentibus enim temporibus primum incendia Anglicorum tumultuum magis atque magis gliscebant inter Regios, atque eos, qui Parlamentarii vocantur. Quorum dissidiorum causas ambitiose inquirere, justitiam causæ hujus vel illius partis defendere, nostrum non est. Præterquam enim, quod hæc in alieno regno contigêre, ita difficillimum est arcana cujuscumque dominationis rimari, imo satius est mirari. Solus omnium corda penetrat maximus ille rerum arbiter, atque incorruptus judex, Deus immortalis. Obstupescit quidem & suspensus hæret totus admodum orbis in mutatione illorum temporum, cum ferali securi Regius Caroli sanguis effusus est, liberi in exiliū acti, totaq; adeò Anglia in partes divisa est. Senserunt quoq; tum Batavi prædonibus Anglicis passim infestari maria, commercia turbari, naves mercatorias hostilem in modum diripi. Proceres tamen nostri, veteris amicitiæ & fœderis memores, nihil hostile tentarunt. Prudenter censebant Patres, facilius bellum inchoari, quam poni; igni semel incenso spatium modumque constitui non posse: amicos, ubi ad bellum ventum, gravissimos & acerrimos hostes

hoſtes eſſe. Notarunt rerum naturalium periti aquam calidam citius gelu indureſcere, quam frigidam: ita fervor amicitiæ, inimicitiæ frigore ſubito congelaſcit, acerrimaque odia promit. Nihil eſt fraternis odiis gravius. Interea vero Angli de noſtris mercatoriis navibus ubique ſine adverſario triumphabant, & quaſi legationes noſtras ludibrio haberent, ſub amicitiæ ſpecie opes maritimas noſtras cõſumebant. Eo deniq; extremitatis ventum eſt, ut archithalaſſus Anglicus hoſtilia Nobis intentaverit: nam cum ad tuendas ſeptem opulentiſſimas mercatorias naves, quæ ex mari mediterraneo Patriam petebant, quaſq; in præſenti periculo eſſe retulerat Præfectus Zanius, eo curſum Noſter direxiſſet, ut amicos cum Anglo ſermones conſereret; atque ad lubitum ejus noſtri vexillum ſtatim non ſubmiſiſſent, quamquam velis ex parte collectis tollendo aplüſtri jam aliquis deſtinatus eſſet: ter tormento majori Blaecquius noſtras naves petiit. Duabus vicibus non reſpondit prudenter admodum & circumſpecte Trompius noſter; ſed ubi tertia vice plures vulnerati, uni ablatum brachium, ut Patriæ honori conſuleret, ſemel tantum tormentum majus exploſit. Angli dein

ex latere uno omnibus simul tormentis explosis ubi socios navales nostros misere vulnerarunt, jure defensionis à dimidia quinta usque ad vespertinam nonam dimicatum est. Quanquam autem invictus noster Imperator facile totam classem Anglicam tum temporis opprimere potuisset, prudenter tamen, ne inde alia publica nasceretur calamitas, abstinuit. Obtemperandum in omnibus iis, penes quos est suprema autoritas; nonautem hostilia intentare, sed jura defensionis usurpare mandaverant Patriæ Proceres. Fatalis dein & horrida incubuit mari belli tempestas, dum socii olim & fratres nostri sine ulla legitima causa in perniciem nostram enses stringunt. Horret cruenta admodum prælia ipse Oceanus: rident utriusque nationis hostes, fœderatos quondam & unius religionis consortes (etsi nunc etiam in religione plurimum mutata tempora sint) in se ipsos vorti. Queis omnibus preliis virtutem nostri herois etiam ipsi horruerunt hostes. Testem habemus ipsum fugientem Blaeckium, reliquosque Præfectos militiæ maritimæ principes. Dolet adhuc Thamesis, dum cedentem classem laceram cruentamque suo suscepit gremio. Ubi tunc Blaec-

qui

qui tua prætoria navis, quam aggredi Noſter jam animo deſtinaverat? difficulter'aufugit, cum vinci puderet. Ubi Roſecrantia, ubi Bonaventura? vim herois noſtri expertæ, & ſupplices conditionem vitæ acceperunt. Ubi tota claſſis? lacera ceſſit, aufugit, tenebris evaſit. Neque in ipſo portu tuta fuit. Aggredi illam in Thameſis oſtio animo certus erat invictiſſimus noſter Imperator, ſi vadorum, quæ quotidie ibi mutantur, peritus adfuiſſet. Quam multa alia illuſtria prælia, quibus omnibus nunquã victus Trompius, plerumq; victor, ſemper autem maxima gloria, magno cum hoſtium damno pugnavit? Quam horrendum & cruentum illud circa Blacneſſam non procul à Bolonia prælium, quod vix tertio die finem invenit? incredibile illud, fortiter dimicando heroem noſtrum ſimul defendiſſe centum & quinquaginta navium mercatoriam claſſem, quâ integri veluti regni opes continebantur. Divitias noſtras in mari tueri, Auditores, idem eſt quod vincere. Neque enim tam Anglicum ſanguinem petimus, quam commerciorum ſecuritatem. Ubi nobis Oceanus patet, cætera, negligimus: neque hoc bellum approbamus, quod neceſſitas extorſit. Octo

jam velivolæ naves hoſtium Harpyarum in morem rapaces ungues mercatoriis noſtris navibus inſeruerant, & veluti contra aureos montes enitebantur: illi ſuo ferro aurum noſtrum rapere tentarunt, ſed ferro ferrum oppreſſimus, atque mercimonia noſtra fœliciter defendimus. Incredibili utrinque fervore tertio die ab hora nona matutina uſque ad ſolis occaſum dimicatum eſt. Circa meridiem dimidia pars claſſis noſtræ pulveris pyrii inopia laborabat, & fugæ propinqua erat. Edicto generoſiſſimi Imperatoris Noſtri iterum ſe ſtiterunt, etſi inermes. Ibi magnanimus noſter Heros viginti quinque vel ad ſummum triginta navigiis, quibus adhuc pulveris bellici copia erat, uſque ad cadentem ſolem fortiſſime pugnavit, adeo ut Blaecquius cedere cogeretur. Ita Trompius non ſolum armis, verum etiam arte hoſtem avertit. Et bellica, & mercatoria noſtra claſsis ſummo in periculo verſabatur, ſi ſciviſſet hoſtis annonæ militaris penuriam. Juſſu Noſtri inermes tanquam armatos ſe geſſerunt, & non pugnando terribiles erant. Quanto autem gaudio tum temporis, claſſe incolumi in portus noſtros delata, perfuſa fuerit mercatorum multitudo, ipſi

portus

portus, ipsæ privatorum ædes testabantur. Quinet fœderati Poceres gratias immensas heroi nostro egerunt pro rebus bene gestis, non tantum verbis, sed amplissimis quoque muneribus. Deduxerat opulentissimam classem in portus nostros, iterum tanquam tutelaris Deus aliam eduxit orientem & occidentem versus. Neq; vero postmodum otiosus pelagi spectator otium sibi quærere, sed negotium, tentare omni modo hostilem classem adoriri, sed venti fortuna defuit. Tandem, ubi occasio affulsit, acerrime utrimque primò dimicatum. Verum Angli vento mox superiore & propitio per velitationem vela & malos nostrarum navium perforabant, & cū Trompius eos aliquotiens expectando frustra eliceret, ut justo simul prelio manus conferrent, illi autem detrectarent; prudenter, quia majus damnum nostræ classi imminebat, nonnihil quassatis nostris navibus, in Wilingensem portum, pars in Tessaliensem se recepit. Porro dum classis nostra iterum expeditur, heros noster nulli labori parcere, incredibili industria omnia dirigere, consilia cum Proceribus conferre, hospitium maris terræ præponere. Interea magna sui confidentia Anglica classis nostros portus

premebat, cingebatque, quæ quotidie crescens conjunctionem nostrarum navium impediebat. Ubi in expedito fuit nostra classis, Anglicâ multo minor, invictus noster Imperator certam victoriam aut mortem sibi spondens, vela ventis dedit. Jamque adeo octavo die Augusti immensa classis Anglicæ moles ex pelago procul se erigebat, cum erectus quoque spititus nostri herois recta eo cursum direxit, quamvis hostilis classis centum & triginta majora navigia, pleraque maris veluti castella numeraret: nostra autem octuaginta duo tantum & multo minora, præter incendiaria, habuerit navigia. Prudentia autem prius certavit, antequam virtute posset. Exiguis velis tanquam cedendo, non tamen cessit, verum illa arte usus est, ut ita portus laxarentur, & classis nostra uniretur. Acerrime tum dimicatum est, & expeditam Anglorum maritimam aciem incredibili impetu perfregit fortissimus noster Imperator; ita ut vere dici possit, perrupit Acheronta Herculeus labor. Nox prælium hoc tenebris suis diremit. Posteriori die, cum impetuosum esset & horridum mare, de vento superiore tantum certatum est. Interea tamen supra votum omnium hoc jam perfe-

perfecerat heros noſter, ut perrupta hoſtium acie ſtrenuus præfectus Wittius ex Teſſalienſi ſtatione claſſem viginti ſex naviũm jungeret. Illuxerat fatalis huic Noſtro & decretorius dies decimus Auguſti, cum graviſſimum & cruentum admodum in conſpectu telluris noſtræ inchoatum eſt prælium. Oceanus veluti incenſus horrendum mugitum edebat, cœlum & maria miſcebantur, vicinum noſtrum litus reſonabat. Iterum Trompius aciem hoſtilem fortiſſime perruperat, jamque adeo victoriam ſibi ſpondebat, certus hoſtem perſequi, atque ad incitas redigere, cum hoſtium victor à morte tamen vinceretur. Etſi quid dicam illum à morte victum, qui magno animo de ipſa morte triumphavit, duplicemq; ita victoriam obtinuit? Minori autem globo ſub papilla in ipſo cordis penetrali transfoſſus ſubito pronus occubuit: ita ut in illo locum habeat, ſtantem debere Imperatorem mori. Poſt mortem ejus elanguit quidem prætoriæ navis virtus, ſed ſtrenuè tamen atque acriter à plerisque dimicatum eſt. Nullius ego hic laudem deterere cupio. Superiores ſunt glorioſiſsimi præfecti noſtro præconio: ſed calamitas quorundam cum ſumma fortitudine conjuncta

mihi subticenda non videtur. Quibus enim verbis Corneli Everarde & Bancere duo fulmina belli, & invicta Martis pectora, vestram fortitudinem & virtutem prædicabo? vos summam Prætoriam hostium navem, cui rubrum vexillum erat, octuaginta tormentorum capacem, quadringentis viris cinctam ita adorti estis, ita pressistis, ut armamenta passim lacera essent, horribilis morientium atque vulneratorum clamor & ejulatus omnium aures pertunderet: eratis jam pene victores, nisi suppetiæ plurium Anglicarum navium eam præsenti eripuissent periculo. Vos terribili pugna proprætoriæ navis, cui album vexillum, tabulata jam deviceratis, sed mox sex majoribus Anglicis navibus cincti tam fortiter pugnastis, ut una igne incensa, altera aquis perierit. Vos cum pluribus adhuc aliis Anglicis navigiis tanto horrore conflixistis, ut ab omnibus pressi, non tam hostibus, quam ignis & aquarum furori, cedere coacti sitis. Emicuit quoque tunc temporis generosa atque inclyta virtus nobilissimi juvenis Caroli de Beveren, illustris hujus Academiæ Curatoris filii, qui igneo quodam & Martio ardore incensus, terrestris militiæ pertæsus, ad horridam maritimam

timam honoris causa animum appulit, atque ex prætoria navi plenus spirituum in medium hoc belli fulmen se proripuit, & sclopetariorū præfectus fortissime usque ad extrema quæq; se gessit, quinetiam minori globo juxta humerum sinistrum graviter vulneratus, vulnere ipso major, animo tamen illæsus, contra hostem stetit, submersa demum navi cum Bancero ab Anglis servatus, postridie ex vulnere fato concessit, & nunc Oceanum (heu) pro sepulchro habet. Maximam itaque cladem tum temporis Anglica classis perpessa est. Collisæ, incensæ, submersæ plurimæ naves, pleræque miserum in modum laceratæ vix in portus Britannicos se receperunt. Ipsa Anglia adhuc gemit, quamvis etiam victa semper singulari quodam fastu victrix sit. Quatuor hominum millia periisse præter vulneratorum incredibilem numerum, ultra octodecim naves incensas vel submersas, cæteras admodum laceras ægre in portum détractas, ex Britannia literæ testantur. Quod si Imperator noster in vivis mansisset, neq; subita & inexpugnabilis fati necessitas eum abripuisset, ea est cordatissimorū hominum in nostra Republ. sententia, totam classem Britannicam deleri potuisse, atque a-

trociſſimo huic bello finem imponi. Occubuit, occubuit, Auditores, glorioſiſſimus maris Præfectus, difficillimis nobis temporibus, ſed incredibili ſibi gloria, victus fatali neceſſitate, victor hoſtium, victor mortis, æternum ſibi nomen comparavit. Quamdiu nomen Batavicum vivet, vivet defuncti noſtri memoria, & in civium animis hærebit, qui non unam urbem, ſed totam oram maritimam ſimul atque ſemel obſidione liberavit. Quid glorioſius, quam patriæ ſe devovere, ſtantem contra hoſtem, non in lectulo, denique ne quidem loricatum occumbere? Merito quidem luget, luget Reſpublica, perculſi Proceres, dum tot ſimul virtutes in uno homine perierunt. Fortitudo invicta, prudentia incredibilis, & pietas eximia in illo certabant. Laboris ſupra modum patiens, cuncta, quę ad claſſem pertinebant, ipſe expediebat, adeò ut ſæpe inſomnes noctes tranſigeret, nunquam veſtibus in totum exutus quietem caperet, aliquoties nocte etiam intempeſta ſurgeret, atq; ita ſupremus omnium Vigil vigilias aliorum oculis uſurparet. In ipſo admodum labore ſumma illi voluptas fuit, & quod aliis aſperum eſſe ſolet, id ex conſuetudine apud illum in naturam converſum erat.

Magnis

Magnis ſpiritibus ſocordia atque ignavia inviſa eſt: glorioſus labor pro nutrimento eſt. Ignavia malas artes docet, honeſtas promovet induſtria. Cœlum nunquam quieſcit: cœleſtis ſpiritus ſignum, in continuo motu eſſe. Idem conſiliis ſagax & promptus, ſcribendo aſſiduus, adeo ut ne minima quæque præteriret. Ubi pugnandum, mortalitatis ſecurus cætera Deo immortali committebat. Quicquid fieri poterat, quaſi futurum jam animo perceperat, & jam diu ante mortem animam Deo immortali ſumma pietate devoverat. Ita nunquam illi inopina mors, vel prævisa pericula non fuerunt. Quæ tamen ipſa non temeraria audacia ſibi arripiebat, ſed prudenti conſilio antevortebat. Nauticæ juventuti adeo gratus, ut illi avum ſuum, hic liberos ſuos vocaret: quod tenerrimi affectus vocabulum amoris tenaciſſimum ſolet eſſe vinculum. Ita tamen benignus erat, ut cum opus eſſet, auctoritatem intactam ſervaret. Amore nimirum & auctoritate, non nimio terrore maritima pubes flectitur. Nunquam præliis loricatus, animo inperterritus, in adverſis, in ſecundis ſemper ſui ſimilis: ſicut enim ſuperior mundi pars neque in nubes cogitur, neque in tempeſtates impellitur, ita ſub-

limis sapientis animus semper tranquillus est, & sibi constat. Itaque nullo ne quidem minimo affectuum motu agitabatur, etsi stipata circa se cadavera volverentur, vel effusus sanguis vel collisum cerebrum vestes ejus macularet. Inter tot mortalitatis exempla nunquam vulneratus, nisi quod ad extremum ferali globo exstinctus est. Nunquam clavum ab hoste deflexit; quem non lusoriis sed decretoriis armis summa violentia aggrediebatur, ita ut serio illorum naves quassaret: fortis in pugnando, in supplices & devictos clemens. Extrema ante ultimam expeditionem verba fuere, se corpus suum, suam vitam patriæ saluti lubenter impendere, quæ vitam dedisset: ad Patres ex prætoria navi, octavo Augusti die, tribus à litore vicino milliaribus rescripsit, se honoris patrię atque sacramenti semper memorem fore: illud præstiturū, quod maritimi militis officium & virtus desiderat; queis Proceres certò fidere possent. Luget itaque, luget merito Respublica, lugent Patres Conscripti, & quod gloriosissimum & ultimum virtutis ejus præmium censeri debet, publico sumptu splendidissimas exequias, & marmoreum tumulum cum luculenta inscriptione decreverunt. Si ulla de-

functos

functos recordatio tangeret, nihil, ut credo, gratius illi contingere potuit, quam prope illum tumulum se quiescere, ubi fortissimi viri Petri Heynii ossa cubant, ut qui simul aliquādo pugnassent, etiam in eodem loco decumberent. Quanto porro cum luctu circumfusa civium multitudo affectum tenerrimum ostendit? quanta doloris impatientia? imo multi per diutinum tempus fidem non adhibuerunt: & flagitium apud nonnullos erat, dicere heroem nostrum mortalitatis leges impleviſſe, quasi non omnium hominum nativitati mortalitas impressa esset, & eidem periculo Præfectus & gregarius miles obnoxius esset. Quid vero hic nauticam pubem referam? quæ ferocia maris indurata, & periculorum frequentia pericula omnia imo ipsam mortem contemnit. Rupes Alpium aceto ab Hannibale liquefactas nemo amplius admiretur: rupes illæ nauticæ in lachrymas solutæ sunt, & qui nesciebant, quid esset lachrymari, aspersas tamen non marino, sed suo rore, suis lachrymis genas senserunt. Alii, ut cujusque verba dolor incitabat, optabant se mortem pro illo oppetiisse, alii incolumi illo pedes & brachia sibi ablata, ut caput maritimæ mi-

litiæ salvum esset; alii ut nulla mercede illo adhuc vivente manus contra hostem stringerent. Quibus autem hic verbis privatum luctum prosequar? mater suæ senectutis unicum solatium languida desiderat: uxor, honoratissima matrona, Cornelia Berchoutia prægnans duplicem in corpore luctum sentit, & in lachrymas cum tota familia liquescit: lugent liberi, omnes summæ exspectationis, inter quos Nobilissimus Juvenis Harpertus Trompius Præfectus peditum, & Cornelius Præfectus aliquot navium, & successor invicti herois Galii, multa jam in mari mediterraneo fortiter gessit, & nunc vindictam paternæ necis pectore suo claudit: lugent Amplissimi Viri affines, consanguinei, & propinqui: mihi quoque dum in luctus solvor, ne quidem verba amplius suppetunt. Alloquar itaque ultimis verbis defunctum nostrum, etsi ille cœli munic„ceps verba nostra non audiat: Salve atque „in æternum vale Martine Trompi, qui nunc „ex turbato mari in portum cœlestem delatus, „qui novus cœli civis non amplius Anglica dis„sidia, sed Angelorum pacem admiraris, qui „victor & triumphator augustus victorem „ipsum inferni veneraris, qui incredibili gaudio

dio perfusus luce jam divina frueris. Salve,, Martine Trompi ,atque iterum in æternum,, Vale. ,,

H

DIXI.

INVICTO HEROI

M. HARPERTI TROMPIO

Fœderati Belgii Thalassiarchæ Scazon.

Troque notus orbe qui fuit Ductor,
Sortis protervæ ludus, Heinio ingenti
Laudatus ante miles, & comes fidus:
Tagi insolentis terror & gravis Bæti,
Cujus cecidit Regis inclyti classem
Armis minacem & flore Ibericæ pubis,
Spectante amicâ tunc Britannica gente:
Nunc dira clades Britonum feræ gentis,
Et certa pestis, ipse si diurnâsset;
Globulo heu peremptus plumbeo jacet victus,
Non victus animo TROMPIVS cadens hosti,
Formido & ingens liberi maris vindex.
Qui morte victor Patriæ & Sibi vitam
Donans solo triumphat & polo clarus.

L. BARLÆVS.

Ejusdem Epicedium.

QVem sibi nascentem mediis nutrivit in undis
Neptunus puerũ, summiq; ad culmen honoris
Inclyta subvexit Virtus: quo vindice concors
Belgica Tartessum domuit, laceraque per æquor
Ploravit Castella rates, victumque Philippum
Eminùs aspexit Brito; nunc Martius ipsum
Dũ TAMESIN debellat Eques, claustrisq; revulsis
Asserit Oceanum, versosque in viscera nostra
Vel tumidis demergit aquis, vel fævior atro
Subruit igne Cacos; puppi stans celsus in ima
Letali cadit heu globulo, lapsusque cruento
Vulnere nutantis patriæ decus extulit ingens
TROMPIVS, æternumque sibi post fata reliquit
Ductor ovans nomen. Quis bella horrentia dicat,
Commissasque acies pelago, stipataque transtra
Carnibus occisorum hominum, pulchroq; cadentes
Non uno Mavorte duces? Pugnante sub illo
Ferbuit unda feror, visusque ex ore Typhœus
Immanes spirare faces, totamque per alnos
Spargere commistam saxis ardentibus Ætnam.
Intonuit strepitu omne salum: tormentaque latè
Bellica terribiles explosa dedêre fragores
Exitiis tot fœta virũm. Tunc sanguine inundans
Irrubuit Thetis, & passim cava littora circùm
Antennæ fluidæque trabes, tabulæque forique
Complevere sinus. vixdum laniata Suorum
Corpora divulsaque rates post terga trahebat
Festa Britannorum rabies. Sic morte triumphans
In mediâ HARPERTI soboles nova laurea fronti
Serta suæ meruit. Nunc pressi damna Leonis
Grandia deplorant Proceres, votisque reposcit
Mœsta Ducem ponto gens efferа: quæque labantis
MARTINI Patriæque velut commune cadaver
Civica turba dolet. nec versis miles in armis
Dissimulat tristes gemitus. Pulchram unius urnam
Delpha stupet lachrymans, tanti quâ sede Duilli
Membra tot, & duris agitata laboribus ossa,
Pugnaceque manus, formidatique lacerti,
Quique gravi toties sudavit casside vultus,
Iam spreto Odrysio recubant: ubi vertice celso
Rostratam veteri exspectat de more coronam
Dux pius, & claris dignissima præmia curis
A Superûm rectore Deo. Sola inscia fati
Calcatrixque rogi patrias concessit in arces
Bellatrix anima & magnis se miscuit umbris.
Quæ vili jam exuta solo, bustoque superbo

Celsi

elßor è Pario ſurgentem marmore cippum,
ıſpenſoſque tholo gladios, dirɛptaque roſtra
aribus, & ſacris hærentia poſtibus arma
eſpicit ex alto, & ſolum miratur Olympum.
Dira ubi Naſſovios inter tot fulmina belli
Terſatur generoſa Duces, fiduſque coruſcum
ſpicit Heemskerki, & Batavâ qui primus in Argo
Phryxæum occidua raptum de Colchide vellus
Vexit in Arctoum tranſtris felicibus Yam,
Heiniaden magnum, quo judice lætus amico
Tethyos immenſæ tumidas inflexit habenas

Noſter hic Alcides. Dextræ victricia cujus
Arma Virique decus latè intonat ære canoro
Pro terras pelagusque volans jam Fama ſuperſtes,
Taliaque ad tumulum fertur ſic voce locuta:
Hac clarum tenet urna Ducem, cui nomen Equeſtre
Gallia conceſſit merito, Batavuſque ſupremum
Credidit imperium Nerei. qui terror Iberi,
Fedifragique Tagi, prædonumque horrida clades
Anglorum, dum vixit, erat. vir pectore forti
Cordatoque potens. Patrem quem nautica pubes
Dixit, & invictum geminum jam perſonat orbu.

Idem.

In Diſertiſſimam hanc Orationem Funebrem.



Um facit exſequias THYSIUS, famæque perenni
Facundo Trompî conſecrat ore caput,
Flebat apud Batavum Thetys Neptunia Rhenum;
Flebat, Achilleos credita flere rogos:
Utque erat impatiens, quod in hoc caput, Anglia, ferrum,
Inquit, mittebas in caput ipſa tuum.
Heu quot eo, quanti venient ex funere Trompîi!
Suada quot hæc, dolor hic, quot dabit ira duces!
i non flexiſſet ferro, dum viveret, hoſtem,
Hoc poterat calamo poſt ſua buſta ſuum.

CORNELIUS FANNIUS.

EPITAPHIUM.

TROMPIVS *hîc situs est, famæ qui natus & armis*
Pro Patriæ, Victor, statque cadítque bono:
Qui toties olim fregit fudítve tremendas
Turditanorum, Marte vel Arte, rates:
Et toties nuper generosè contudit, acri,
Anglorum duras, dexteritate, minas:
At tandem (crudele nefas) dum Victor in hostem
Tela jacit, diro fossus & Ipse globo.
Sic Victor victusque Idem; namque hoste subacto,
Sola triumphantem vincere Parca potis.

In Eundem.

QVi *Patrias toties aras tutatus & arces,*
Et toties lauro tempora vinctus iit;
Nunc quoque cœlesti lauro (nam dignus utrâque)
Ut cingatur ovans, sidera Victor adit.

In Eundem.

TROMPIVS *ergò jacet! jacet heu! virtusque manusque,*
Quæ toties hostem terruit. Ergo jacet?
Fallor: TROMPIADES, *Patrii qui nominis hæres,*
(Crede mihi) Patrem gignet & ipse suum.

ANT. CLEMENTIVS Zirizæus.

LVGDVNI BATAVORVM,

Typis PHILIPPI DE CRO-Y, Anno 1653.